



NOTÆ NONNULLÆ,

Quibus Auctor tyronibus , oblata
veluti inter legendum face,
consultuit.

EX LIBRO I.

Od. 10. *Ercta specu*

Ercta mons Panormitano adjacet littori ;
ubi D. Rosaliam Virginem , Panormitanam , à Carolo Magno regium trahentem genus , sanctissimè vixisse , & inde ad Superos evolâsse constat. Ex P. Octavio Caëtano S. J. in vit. SS. Sicularum , & aliis.

Od. 11. *Est sua fulmineis pretiosa Ceraunia
reliis.*

Cerauniam gemmam cum fulminibus cadere solitam tradit Plin. lib. 36. cap. 10.

Anguineo est sua gemma cerebro.

Draconites , sive Dracontia è cerebro fit draconum , sed nisi viventibus abscissa nunquam gemmascit. Plin. lib. 36. cap. 10.

Od.

Od. 12. *Te Mithridates vindice filij*

Domesticis hic petitus insidiis, à Pharnace filio interfectus. Bussières S. J. Flosc. Histor.

Te Philopœmenes

Dux Achœorum clarissimus in caveam ab hoste detrusus, hausto ibidem veneno interiit. Plutar. in ejus vit.
sacrilegâ simul.

Romam

Urbem à Nerone incensam tradit Sueton. in vit. cap. 38. quod incendium à turri Meccœnatiana cum prospiceret, lætus flammæ, ut ajebat, pulchritudine *ἄλωσιν* Ilij in scenico habitu decantabat.

Impulsus hydriis

Notæ Tiberij Cæsaris furia, qui in quadam epistola ad senatum, Dii me, Deæque, inquit, pœnis perdant, quem quotidie perire sentio. Sueton. in vit. Tib. cap. 67.

Od. 13. *Salve parve Molon*

De Molone pufillo lege Adagiographos, cujusmodi etiam fuisse Andromedam, Juliae Augustæ libertam, habes apud Ravisij officinam.

Timanthis tabula dignus.

Hic Cyclopem in parvula tabella dormientem pinxit, juxtaque pufillos

Satyros pollicem ejus thyrso metientes.

Plin. lib. 35. cap. 10.

nil Lyce Teio.

Debes exitio.

Anacreontem uvæ acino suffocatum testatur cum aliis , Plin. lib. 7. cap. 7.

Od. 16. *Nato Nicomachi*

Hoc est Aristoteli , de quo Mantuanus Nato Nicomachi si fas est credere.

Od. 17. *Cessere in laurus*

De Amphiarai jaculo , quod ab aquila in sublime raptum cesserit in laurum , Plutarc. in parall.

Od. 19. *Archimedeo geminata saxo.*

Echo Syracusia.

Regnantis Basilii volucris

Leo , Basilij Macedonis Imperatoris filius , ob intentatam parenti necem , voce psittaci ô Leo , ô Leo , inclamantis , miserationem , patrisque veniam , pro rei salute deprecante senatu , extorsit. Zonar. in Basil. Maced.

Od. 23. *Pelasgis*

Hoc est , Ceres lege not. in Od. 5. Lib. Epod.

EX LIBRO II.

Od. 1. *auspicato*

Iris occursu

Allu-

Alluditur ad Iridem , quæ prope Vaticanium affulfit faustissimo die , quo Clemens nonus P. M. coronatus est.

Leoni Belgico

Leonis effigiem Belgium exprimit , ex Fam. Strad. tabula.

suetus ab hispidis

Serranus agris

Priscis illis Romanis heroibus agri colebantur , gaudente terra vomere laurato , & aratore triumphali. Plin. 18. cap. 4.

Atticam

Veto Cicadam

Nobilium Atheniensium capillis aureæ cicadæ implicabantur , ex Cæl. lib. 12. cap. 6.

Amnem Palastinum

Jordanes è Libano profluus in Asphaltitem , pestilentibus aquis lacum , se fundit. Plin. lib. 5. cap. 15.

Suspendit in palmis volatum

Ibides , Ægyptiæ volucres , in palmis sibi construunt nidos. Ælian. lib. de Animal. cap. 39.

Od. 3. Zenonis naufragium

Zenonem Cittiaum , cum juxta Pyraeum mercium jacturam fecisset , dixisse ferunt : *Tum bene navigavi , cum naufragium feci.* Inde enim se ad Philosophiam ad-

addiscendam contulit , ex Apophth.
Manut.

Mucro fortis Achillei

Telephum Achilles ferrea cuspide , qua
percussit , sanasse proditur Plin. lib. 35.
cap. 15.

haud solvisset in aureos.

Pyrene latices viscera.

Pyreni montes fortuito olim incendio
cum deflagrassent , liquefactum è venis
aurum in rivos excussere. Rhò S. J.
Hexamer. Orat. 27.

Cùm fulmen Mithridaticas

Mitridatis , Asiae regis cunas fulmen exussit,
infantulo nequaquam læso. Muret. lib.
1. var. histor. cap. 2.

Clypeo sospite Myrtili

Myrtili clypeus , Græcum adagium , pro
re usurpatur , quæ nos in adversis sem-
per juvat. Lege Leonidem Poëtam , quæ
sequentis Alciati Emblematis sensui
favet.

*Bina pericla unis effugi Myrtilus armis ,
Cùm premererque solo , cùm premererque
salo.*

*Incolumem ex acie clypeus me prestitit , idem
Navisfragum appensus littus ad usque
tulit.*

Od. 6. *Dum pulsai hastis nubila*

De Lysimacho , qui lancea Cœlum se te-
ti-

terigisse gloriabatur, lege not. in Od. 15.
lib. 4.

Od. 7. Dux Telamonius.

Aiacis Telamonij invidia eò usque pro-
cessit, quòd ipsi Ulysses in Achillis
armis dono habendis præferretur, ut in
furorem actus sibi necem intulerit. Ex
Homer.

Vix Gilimerio

Rex Vandalorum Gilimerius fuit, quò
à Belisarij Victoris exercitu obsessus,
spongiam, qua lacrymas abstergeret;
ac Lynam, qua animi ægritudinem emol-
liret, expetiit, Procop. lib. 4. Vandal.
& Cedrenus.

Perlustrare domum crede Trophonij

De antro Trophonij lege not. in Od. 18.
lib. 3.

Od. 11. Coëunte sylvâ

Alluditur ad rhamni apologum ex Judic.
cap. 9. vers. 8.

Od. 12. Orphei sudor.

Hujusce vatis statuam in Pieria sudasse,
cum Alexander Macedo in Persas milita-
rem apparatus adduceret, refert Arrian.
de expedit. Alex.

Faustas puellas Sauromatum

Apud Sauromatas nulla olim Virgo nuptiâ
dabatur, nisi prius aliquem hostem in-
terfecisset. Herod. lib. 4.

Ad lychnum Cleanthis

De Cleanthis lucerna lege Adagiorum
scriptores.

Od. 13. Infusum vagitibus Attici Platonis

In tanti viri infantis ore confedisse apes
suavitatem illam prædulcis eloquij por-
tendentes, prodidit Plin. lib. 11. cap. 27.

Ut Isocratis excubat feretro

In hujusce vatis tumulo sirenem incul-
ptam fuisse testatur Cæl. Rhod. lib. 17.
cap. 20.

Od. 16. Vidi ego Chosrois

Chosrois Persarum regis machina notis-
sima, ex Cedren. ad annum Heraclij 13.

Od. 17. Assuetus Siculi finibus imperi

Toti Siculæ provinciæ S. I. breve licet tem-
poris spatium, P. Petrus Salernus præ-
fuit Romanæ tamen clavum mira ani-
mi demissione declinavit.

in tuos

Ibam sponte labores

Idem Sanctorum Siculorum vitis à P.
Octavio Caetano S. I. in lucem editis
nonnullas eruditissimas adjecit notas.

Od. 20. Haud Phœbi coma palluit

Leonidam cuidam militi, solem præ bar-
barum jaculis videri non posse dicenti,
respondisse ferunt: An non lepidum, si
cum illis sub umbra pugnaturi sumus?
Ex Apophth. Manut.

Od.

Od. 22. Suum Pericles.

Dux hic Atheniensium, ab Comicis vari-
bus Olympius Pericles nuncupatus, le-
tho proximus, quod sui causa nemo
Atheniensium pullam vestem induisset,
gloriabatur. Ex ejusdem Apophth.

oderint

Dum terreatur

Tragicum hoc hemistichium subinde
Caligula jactatum refert Sueton. in vit
cap. 30.

Quot nocta diras vota Caligula

Hujusce monstri vox, ac votum fuit illud:
Utinam Pop. Rom. unicam cervicem ha-
beret. Ex Apophth. & Suet.

Od. 23. vult Sapor

Ad currum statui Cyllaron

Nota Saporis Persarum regis, se Dianæ
conjugem, Solisque filium esse jactantis,
superbia. Fulg. lib. 9. cap. 5.

Od. 25. nescia fulminum

Phocarum è spoliis cingula

Squameam harum belluarum pellem ful-
mina non percutiunt. Plin. lib. 2. cap. 55.

Tusco Autolemus vortice

De hoc Marullus in Epigram.

Dixerat Antolemo flammis consultus aruspex

Die cavendas postero.

Credidit, & rerum dubius de maue sub amnis

Delituit Hetrusci vadis.

Sed

*Sed neque sic fatum effugit. nam, dum in-
nataat Arno,*

Ictus crematur fulmine.

Sensit Anacreon

Uvæ passæ acino strangulatus hic obiit.
Plin. lib. 7. cap. 6.

Chilon latitiâ palluit Æacum

Gaudio hunc expirâsse prodidit idem Plin.
lib. 7. cap. 32. cum victorem Olympiæ
filium vidisset.

Olim posse Gothus

*Gothi, Olao teste, lib. 3. de Gothico Im-
perio cap. 2. adversus fulmina sagittas
in nubes olim excutiebant.*

Od. 26. Tolosanum tribunal.

*Tolosæ quondam in Gallia, cum quidam
homicida capi, torquerique non potue-
rit; id ab illius suspenso gladio suppli-
cium captum. Pandolf. Prat.*

me fatuus Scythes

Dignatur aris

*Scythæ acinaci, tanquam Martis simulacro,
litabant. Herod. lib. 4.*

EX LIBRO III.

Od. 1. vincta diu Ceres

Plumâ cerastarum

*Cerem alatis serpentibus vehi solitam
refert Servius in 1. Georg.*

In vita avaro remige trajici

De Camarina lacu Virg. 3. *Aenei.*

Et fatis nunquam concessa morerè

Apparet Camarina procul.

Trudunt achaten flumina

Achates Siciliae fluvius, cui vulgò *Dirillo*

nomen est, teste Cluverio *Ant. Sicil.*

Achatae gemmae in ipsius ripa primum

inventae nomen dedit. Idem Cluver.

vel aureo

Cratere flavescet Panormus

Urbs haec, cujus insigne est serpens, Panor-

mitani Genij membris implicitus, ob sui

magnificentiam, ac felicitatem passim è

Siculis *Concha aurea* nuncupatur.

Linguet corufos Oarion lares

Gigantem Orionem, quem deinde inter

astrorum ignes fabulosa vetustas inse-

rruit; Zanciam urbem, hodie *Messanam*,

quà jactis in portu molibus, quà arci-

bus exaedificatis muniisse, arque illu-

strasse refert Diodor. *Sicul. lib. 4.* apud

Iconologiam P. Placidi Samperij Soc.

Jes. lib. 1. cap. 5.

Testis erit Theris

Circa Messanam, & Mylas fimo similia

expuuntur in littus purgamenta. Unde

fabula, Solis boves ibi stabulari. Haec

Plin. lib. 3. cap. 98.

Non hic Eloro

Cum

Cum de hujusce fluminis Netinum agrum
præterfluentis (quod vernaculo sermone
Tellaro dicitur) amœnitate meminisse
Ovid. 4. Fast. sic cecinit:

Et Gloria Tempe.

suo

Fonti verecundo Diana

Rhemnius Fannius huic Dianco fonti præ-
ferat facem. Sic ille:

Plurima sunt istic totum memoranda per
Orbem:

Diana fons est; Camarinâ gignitur undâ,
Quam si quis manibus non castis hauserit,
unquam

Latifico tristis non miscet pocula Baccho.

Pila Typhoëos

Libet hic de Typhoëo Pindari vestigiis
inharentem Ovidium lib. 5. Met. af-
ferre,

Vasta Giganteis ingesta est insula membris
Trinacris, Et magnis subjectum molibus urget
Æthereas ausum sperare Typhoëa sedes.

Nititur ille quidem, pugnatque resurgere saepe:
Dextra, sed Ausonio manus est subjecta
Peloro,

Læva Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur.
Degravat Ætna caput, sub qua resupinus
arenas

Ejectat, flammamque fero vomit ore Ty-
phoëos

Hic

Hic continentem sapius audiet

Apollo Daphnim.

Hirminius armis laurorum feracissimus,
quem nonnulli perhibent à Daphnide
olim cultum, è Ragusæ urbis, quæ
prisca illa Hybla Heræa creditur, mon-
tibus fluit, agrosque Sicenses alluit.
Ex Joan. Ventimillio de Poëtis Siculis
lib. 1. cap. 5. & Cluver. Ant. Sic.

quæ Gela Romulam

Prospectat annonam

Siciliam Romanorum horreum fuisse nun-
cupatum faris constat.

Et Lybicos vocat

Symethus

Catanæ campos irrigat Siculorum fluvio-
rum rex Symethus, ab incolis hodie
Giarretta Symethidos Nymphæ fabu-
la nequaquam ignotus.

Nebrodes

Mons altissimus, nullique in Sicilia, post
Ætnam, secundus, Italicè *Madonia*
dicitur. de hoc Sil. lib. 14.

*Nebrodes gemini nutrit divortia montis,
Quo mons Sicaniâ non surgit ditior umbrâ,
Te vitreo rigat*

Crimisus alveo

Crimisus hodie *Fiume di San Bartolomeo*
dicitur, teste Fazello de rebus Siculis
decad. 1. lib. 7. cap. 3.

*Te Cephalædias**Suspirat acclinata rupes*Ad rupes, quas urbs Cephalædum, hodie *Cefalù*, prospectat, alluditur.*Agathyrsus*Siciliæ promontorium, quod in Æoli-um pelagus excurrit. vulgo *Capo d'Orlando* dicitur auctore Fazello de rebus Sic. dec. 1. lib. 9. cap. 5.*Urbs Agragas*Hodie *Girgento*; de cuius prisco luxu, opulentiæque consule Diodor. Sic. lib. 13.*Affine Pæno jam Drepanum salo*Drepanum, vulgo *Trapani*; urbs hæc ad Africam vergit, thynnorum mercimonio, ac coralliorum piscatu nobilis, Drepanitanæ tamen Virginis insigni simulacro nobilior.*Senile Netum*Urbs pervetusta, locique situ munitissima, hodie *Noto*, cuius meminit Sil. lib. 14,*duplicis Himera**Thermas*Æolio incubant ponto *Thermæ*, hodie *Termine*, à quibus haud procul *Himera* flumen, de quo Plin. lib. 3. cap. 8. & Sil. lib. 14. hæc habet:*quæ mergitur Himera ponto
Æolio, nam dividuas se scindit in oras,*

Nec

Nec minus occasus petit incita, quam petit ortus.

Aut gelidas Hieronis arces.

Urbs à priscis Calacta Hieronis dicta, hodie vulgo *Caltagirone*; quam, vel ab ipso quo insignitur nomine, nonnulli ab Hierone conditam suspicantur.

Non Archimedis quadruplices

Syracusarum luculentam apud Tullium descriptionem habes. Act. 6. in Verr.

Od. 3. Me Bias lino

Rex Lydiae fuit Bias, filo ranae illigare solirus. Cauf. in Aul. Sancta tom. 1.

Spiculo Casar

Domitianus stylo muscas confodiebat. Sueton. in vit.

Hartabus vexat

Hyrkaniae rex, Hartabus talpis capiendis dies terebat. Cauff. loc. cit.

Od 4. Facula laureata

Apud Romanos victoriae nuncius erant. consule Viridar. Mendoz. lib. 28.

Seu Meroë pharetrata

Aegyptii sagittas in capite, ut coronae speciem praesferrent, gestare soliti erant. hinc Claud. in 3. Honor. Consul.

positis numen confessa pharetris

Ignavus Meroë traxit de crine sagittas

Od. 6. Itala Punicas

Pellex catervas

Annibalis exercitus Capuæ adeo se luxui dedit, ut corporum viribus, animorumque enervaretur. Liu. lib. 23.

juga Phocidos

Fatale succussit Theano

Thebana hæc mulier à Phocensi Quodam juvene rapta Thebanum in Phocidem accendit bellum, ex Athen. lib. 13.

Od. 11. *Muta Pompeij simulacra.*

Hic sui imaginem è margaritis affabrè concinnatam in quodam triumpho palam dedit. Plin. lib. 37. cap. 2.

Od. 12. *Pericles respuit*

Pericles amico roganti, ut in sui gratiam falsum dejeraret, respondit; se quidem, sed usque ad aras, amicum esse. Gell. lib. 1. cap. 3.

Od 17. *Suadeo mergas citharæde.*

Timotheus Milesius citharædus, cum Orchios modulos ad Alexandri Macedonis mensam caneret, regem repente insanum in pedes statuit, coëgitque ad arma proflire; remissiore dein cantu, ejusdem ad iram proclivem animum emolliit, sedavitque. Sabell, lib. 10. cap. 8.

Cissiden.

Id est Saulem, Cissi filium; cujus efferræ mentis furias David lyra non semel edomuit.

Pho.

Phocion jam jam facili cicutam

Præiusquam Phocion imbutum veneno
Poculum hausisset, præcepit filio, ne-
quid ob hujus rei memoriam Atheni-
ensibus malivelleret. Plutar. in Apophth.

Quæ Clytium stravit gravis hasta

Clytus ab Alexandro hasta transfixus se-
ram illi pœnitentiam, ac gemitus ex-
torfit. Curt. lib. 8.

Od. 18. Antrum Trophonij.

Quisquis Trophonij specum semel ingres-
sus fuerat, nunquam postea videre pos-
se credebatur. Herod. lib. 1. Pausan.
& Cic. lib. 3. de Nat. deor.

Od. 21. Rex figulo satius.

Agathocles, figulo patre genitus, ficti-
libus convivari assuetus erat, teste Dec.
Aufon.

*Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea re-
gem,*

Atque abacum Samio saepe onerasse luto.

Rudemque Primislaus lacernam

Hic ab aratro ad Boëmiae regnum sub-
latus, rusticant sibi penulam servari
jussit; quod veteris fortunæ nunquam
immemor foret. Caussin. in Aula san-
cta. part. 1.

nos Eratosthenem

Mentimur

Eratosthenes Cyrenæus adeo insignis

cosmograpus fuit, ut, teste Suida, Orbis terræ menfor fuerit appellatus.

Spargi per Cypriam iussit humum

Solon extremum diem jam obiturus in cineres suum redigi cadaver iussit, perque Cyprum insulam disseminari; nihil suis civibus utilius se facturum id temporis ratus, quam ut lethi memoriam illis incuteret. Diogen. Laerr. in Vit.

Od. 22. *Iphias*

Exusta flammis

Hoc est Evadne, Martis & Iphiæ, seu Thebes filia; quæ in Capanei viri rogam ob amoris impatientiam se conjecit.

Od. 25. *Ignis examen*

Nonnulli apud Saxones, ad diluendam sui nominis delationem, innocentiamque comprobendam, candentis ferri tactu usi. quod experimentum Robertus Conturbienfis Archiepiscopus, vernacula saxonum lingua, *Orbel* dictum perhibet. Apud Caufin. in Pietate victricis pag. 68.

Od. 26. *in Lacedemonum*

Nudo laborasset

Apud Thebanos quædam Spartanorum familia fuit, qui, hæreditario quodam jure naturæ, lanceæ speciem ab illa corpori impressam gessere. Dio. Chrysof.

soft. orat. 4. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 19.

*Aut Castrioti fingere dadalum
Ensem lacertis*

Georgii Castrioti Epirotarum regis brachio ensis effigiem effinxit natura. Pontan. lib. 2. bell. Neapol.

Nec, laurus etsi Pontica

In Ponto laurus Amyci Bebrycum regis tumulum texit, quam insanam vocabant: quoniam, si quid ex ea decertum inferretur navibus, jurgia excitaret. Plin. lib. 16. cap. ult.

Uxor olim Niliaca virum

Marcus Antonius, Cleopatras maritus, cum ad singulare certamen Augustum Caesarem provocasset, honestissimo, dignoque Caesaris responso repulsus. Caes. Aula Sanct. tom. 1.

EX LIBRO IV.

Od. 1. *Oreteis*

Panormitanis scilicet campis, quos Oreitus amnis alluit.

*Surge, cui praebet philomela, Vates
Sicane laurum.*

Stesichorus Himeræus, vates Lyricus.

S ;

in

in cuius infantis ore luscinia cecinit.
Plin. lib. 10. cap. 29.

Fons Halesinus

De hoc Siculo fonte sic Rhemnius Fan-
nius.

*Hic & Halesinus fons est, mitissimus undis ;
Tibia quem extollit : cantu saltare putatur
Musicus, & ripis latans excurrere plenis.*

Cyaneque fulvo

Stagnat electro,

Nympha sicula Cyane in sui nominis
fontem, qui Syracusanum Agrum præ-
terfluit, commutata. Hinc Ovid. 3.
de Pont.

*Quique suis Cyanen miscet Anapus aquis
Liquidoque Chrysas*

Fluctuat auro.

Hic annis Afforinorum campos, teste
Tullio act. 4. in Ver. irrigat. hodie *Dit-
raino*, lege Cluver. Antiq. Sicil.

Od. 3. *Ne cete in scopulos ruant*

Musculus, parvus piscis, belænarum dux,
& comes, ne in vada, aut scopulos
illidantur; adeoque balænx oculum
vocant. Ex Plin. lib. 9. cap. vult.

fugam

Xerxis Thermopyla

Hic Xerxes à quatuor millibus Græcorum
fusus, fugatusque. Alex. ab Alex. lib.
6. cap. 25.

Audax Cyrus

Hunc Persarum, Medorumque regem à
Tomyri Scytharum regina devictum,
interfectumque narrat Herodot. lib. 1.

Od. 5. *Zancla licet*

Conditor Orion.

Mellanam urbem adeo refecit, auxitque
Orion, ut illius alter veluti conditor fuis-
se visus fuerit, lege Diod. Sic. lib. 4.

Od. 8. *Prisci Daphnidis exedram.*

Perge ad not. in od. 1. lib. 3.

Od. 10. *Sybarita Solem*

Smindyrides Sybarita viginti annorum spa-
tio, nec orientem, nec occidentem un-
quam vidit Solem. Athen. lib. 6.

simulare balbum

Dedecet Battum

Hunc Cyrenes in Africa conditorem
insigniter balbum fuisse refert Carol.
Steph.

Od. 13. *Philotesius crater.*

Convivale hoc apud priscos poculum erat,
quo amicitiae conciliabantur: qui mos
apud Germanos adhuc viget, ut nefas
sit iis, post acceptum mutuoque hau-
stum Philotesium craterem, priscarum
injuriarum meminisse, lege Adagiogra-
phum.

Adhuc recentes flet Lilybe.

Paucis ab hinc annis, Lilybe urbs, hodie

Marsala ob fulminis lapsum in nitra-
ti, ac sulphurei pulveris acervum, sui
luctuosissimam pertulit cladem.

Tigres ovino lacte

Quamvis sævo ingenio tigres sint, si ra-
men ovium lacte enutrientur, feroci-
am deponunt. Joan. Rho. Soc. Jes.
Hexamer. Orat. 41.

Vipera Creticos

Si libet amnes

In Creta nullum maleficum esse animal,
præter phalangium, refert Plin. lib.
8. cap. 58.

Od. 14. *Anseres*

Cum Tauri Cilicis

Taurum montem anseres, ne aquilis
clangore prodantur, ore lapillum mor-
dentes transvolant. Ælian. lib. 5. de
anim. cap. 20.

Auratum Cyene Sicana carcerem

Syracusus is est Dionisii carcer, ad au-
ris speciem iu rupis latere prope Cya-
nen excavatus.

Od. 15 *Epulares Pharus horas onerabat cy-
parissis*

Hunc morem attingit Sil. lib. 13.

Ægyptia tellus

Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & à mensis exanguem haud se-
parat umbram.

Od.

Od. 19. *Famque olim calvo sub praside*
 Ludovicus Insubriæ dux sapientissimus,
 idemque calvus eos, qui suæ curiæ
 præesse debuerant, calvos selegit. Cæ-
 lius Calcagnin. in Apologis.

At Scythia calva agrestis

De molli Thracum calva, deque solida
 ac ferrea Scytharum meminit Synesius
 orat. de laud. Calvitii.

Od. 20. *Testis in Herculem*

Alluditur ad saxum ab Hercule proje-
 ctum in statuam inter Elidem, & Pi-
 sam: quod cum resulvisset, percutien-
 tem percussit. Eustath. in Iliad. lege
 Adagium, *iciens ictus est*, apud Manut.

Od. 22. *Lingua vena duplex*

Duplicem inesse linguæ venam, quarum
 altera cerebrum, altera cordis fibram
 tangat, tradunt artis Anatomicæ pro-
 fessores.

Od. 24. *Exulant nido patria*

Muribus ab patria urbe abacti Megaren-
 ses, vespis Phalestæ. Ælian lib. 1.
 cap. 28.

Fregit examen cynipbum

Trajanum, devictis Parthis, Agarenos
 olim obsidentem vis muscarum ab in-
 cœpto deterruit. ex Dione Cassio.

Haud semel stratus culicum susurro

Culicum stridore, aculeisque fugantur

plerumque Indici leones. Amm. lib.
18. cap. 10.

Od. 25. *Theſſalica fascinationis amuletum.*

Costans fama apud veteres fuit, Theſſalos laudando fascinare. ex Viridario Mendoz. quod etiam de nonnullis in Africa familiis laudatione effascinantibus refert Plin. lib. 7. c. 2.

Lysimachus secuisse valvas.

Tumidissimum hoc animal eo dementiæ processit; ut teste Plutarco lib. 2. de fortun. Alex. se lancea cœlum attigisse dixerit.

Od. 30. *eadem diurnâ.*

Luce neglecta

De cinosbato herba tradit Ælian. lib. 14. cap. 27. per diem, subobscuram delitescere; noctu vero, igneo quodam fulgore coruscare: quod de nonnullis aliis referunt passim auctores. legatur Rhò Hexam. Orat. 22.

Od. 32. *ut Phrygius senex*

Raucam cessit in alitem

Tithonus in cicadam conversus.

Od. 35. *Futurus Empedocles*

In Ætnæ caminum hic se præcipitem dedit; de quo Hor. in art. poët. cecinit:

Deus immortalis haberi

*Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus
Ætnam*

In-

Influit.

Od, 36. *Milvi voracis rostra Philoxenus*
Optabat hic helluo gruis collum, quò
diutius inter epulas, ciborum volup-
tate fruereur. Athen. lib. 1.

EX LIBRO EPODORUM.

Od. 1. *lilium suâ satum.*

Suâque adultum lacrymâ.

Alba lilia iisdem omnibus modis ferun-
tur, quibus rosa: & hoc amplius,
lacryma sua. Hæc Plin. lib. 21. cap. 5.

qua Theffalo

Frangatur Hybla fascino.

Theffalos laudando fascino retulimus
not. in od. 25. lib. 4.

Sistant mobilem muscis fugam.

Alluditur ad Domitianum Cæsarem mus-
cas præacuto configentem stylo. Suet-
ton. in Domit. cap. 3.

Pictura Scanderbegii

De gladio ingenitis è natura notis ex-
presso in Joannis Castrioti brachio, vi-
de not. in od. 26. lib. 3.

Subditque reges currui

Sesostris, rex Ægypti ea insita felicitati
superbia fuit, ut triumphaturus domi-
tos

tos reges ad currum junxerit. Nicephor.
lib. 18. cap. 29.

Pellaa cuspis

Alexandri Macedonum regis gladius, de
quo Juvenal. sat. 10.

Unus Pellao juveni non sufficit orbis. }

Od. 2. *Arbor Capillata*

Lotos, arbor Romæ vetustissima, cogno-
mento capillata, quod in ea tonsos ca-
pillos Deo cuiquam sacros adolescentes
suspendebant. Plin. lib. 17. cap. 44.

Imbri corusco Casarum

Prisci nitella aurea comam inspergebant,
quod Lampridius de Commodo Imperat.
Solinus de Hispanis, Josep. lib. 8. cap. 2.
de equitibus Salomonis refert.

Od. 4. *Tu, docte Ripa, gausape*

Hac utor voce pro barba hirsuta, Persium
sat. 4. imitatus.

Tu cum maxillis balanatum gausape pectus.

Od. 5. *insulatus arbiter,*

Pœnique custos liminus.

D. Augustinus.

Pelasgidos

Hoc est Cereris, cui templum Pelasgus
Triopæ filius dedicavit. Lege Patronymi-
ca P. Placidi Spathaforæ S. J.

Od. 6. *Extracta nitedula dumis*

Regis cujusdam amentissimi meminit P.
Rhò Hexamer. Orat. 4. qui sacrilego ore
au-

ausus fuerit gloriari ; se , eo tempore,
quo terrarum Orbem Deus O. M. exadi-
ficavit , si cum illo simul adfuisset , ele-
gantiores rerum creandarum species , for-
masque suo depromptas cerebro objectu-
jecturum : quo quid insanius ?

Od. 8. *Vinitor papaverum , Priscus*

Ad Priscum Tarquinium superbum allu-
ditur , quem summa papaverum capita
baculo decussisse tradidit Livius lib. 1.
dec. 1.

Non Pollionis uvidi dementia

Subjiciam hîc verba Senecæ lib. 3. de ira
cap. 49.

Cœnante apud Vedium Pollionem Cæsare
Augusto , fregerat unus ex servis ejus
cristallum : rapi eum Vedius jussit , nec
vulgari quidem periturum morte : mu-
rænis objici jubebatur , quas ingens
piscina continebat. Quis non hoc illum
putaret luxuriæ causâ facere ? Sævitia
erat. Evasit è manibus puer , & con-
fugit ad Cæsaris pedes : nihil aliud pe-
titurus , quàm ut aliter periret , nec esca
fieret. Motus est crudelitate Cæsar , &
illum quidem mitti , cristallina autem
omnia coram se frangi jussit , comple-
rique piscinam.

poculum

Cynico cruentarem sopho

Dio-

Diogenes, cum quemdam eava manu bibentem vidisset, poculum, quo ad aquæ potum utebatur, effregit. Plut. de virtutis profectu.

Od. 9. *Admonuitque Thales*

Primus omnium Thales Milesius Solis defectum, qui sub Altyage accidit, prædixit. Plin. lib. 2. cap. 12.

Quam vellent sibi Pergameam pubescere barbam.

Aurea Æsculapij barba innuitur, quem Martial. lib. 9. Epigr. 17.

Pergameum Deum vocat. Plura ibi apud Raderum invenies.

De barba tamen aurea Æsculapij

Valer. Max. lib. 1. cap. 1. meminit; ubi Dionysium, Syracusarum Tyrannum, Epidauri Æsculapio barbam auream demi jussisse tradit, quod affirmaret, non convenire patrem Apollinem imberbem, ipsum barbatum conspici.

Od. 13. *Puer ut Tridentinus Simon.*

Hic in formam crucis extensus, Judeorum carnificum cultris, stylisque transfixus in Cœli victimam cessit. Ex Joan. Matth. Tiber. Biver. & aliis.

Od. 17. *Experta quondam*

Carolus VI. Rex Gallix cum quinque aliis, & ipse vultu leonino personatus, correpta forte villis lancis face, quibus in semi-feri

feri portenti speciem imos artus indutos
ferebat; vix evasit incendium: ludi sociis
penè omnibus igne ustulastis. Paulus
Æmil. lib. 10. Hist Franc.

Od. 20. *Sive Nortmani ducis*

Hoc est Rogerij, cui Panormum à Sara-
cenis captam obsidenti se Divina Mater
videndam obtulit, cùm vexillum manu
gereret, aditumque illi in urbem emol-
liret. Ex Iconibus Deiparæ P. Octavij
Caëtani S. J.

Sive Siclenses per agros

Prope urbis Siclis littus meridionali plagæ
obnoxium, eadem Virgo candido in-
fidens equo tumultuariam Saracenorum
manum non fugasse solum, verum etiam
excidisse visa; Siclensibus illius ductum
ad vim hostilem propulsandam insequen-
tibus. Melchior Incofer S. J. in Con-
jectatione Epist. B. V. ad Meslanenses
cap. 55.

Te Ravenosæ coluere rupes

In Virgineo oppiduli Ravenosæ templo
picta hæc visuntur, traditumque à ma-
joribus miraculum firmannt: Rogerius
propinquum *Saracenum* montem in di-
tionem Saracenorum redactum obsidet.
Sed cùm aquarum penuria illius copiar
laborarent, post ritè effusas à Rogerio
ad DEI Parentem preces, adesse illi Virgo
vita,

vifa , animumque ad arcis oppugnationem addere ; præterea locum prope ducis tabernaculum ostendere , quo effosso , aquæ fons perenni rivo erupit : siti relevato exercitu , expugnatum , captumque oppidum. Ex Iconib. ejusdem Caetani.

Divæ ; si quondam

Cum Divinæ Parenti templum in Mamertino Montis Alti fastigio extruendum esset , è cœlo columba placidissimo visa lapsu coram senatu , populoque Messanensi descendisse , delubrique circumscriptis fines , deinde iterum in nubes advolasse. Idem Samper. lib. 3. cap. 11.

Teque delphinum

Quatuor ferme milliaria ab urbe Messana mons distat , quem gemino superminentem pelago , Chalcidicum , Diodor. Sicul. ac Polyb. lib. 1. Neptunium solinus appellat : hodie vulgo *Dinnamari* dicitur. Ibi in summa rupe Genitricis Virgineæ imago colitur ; quam constanti , perpetuæque traditum est fama à duabus marinis belluis dorso advectam , atque in Mamertino littore fuisse expositam , ex eadem Iconolog. Samper. lib. 2. cap. 24.

Laus DEO , Divinaque Matri. ,


F I N I S.


e ad aris oppugnat
 circa locum popi
 ostendere, quodlibet
 sivo tempore. In
 quatuor, curant
 ejusdem Cacia.

emplum in Muret
 stigio erudition
 na placidissimo via
 populoque Melli
 lubrique circum
 iterum in nobis
 r. lib. 3, cap. 11.

o urbe Mellana
 mo supermi
 rum, Diodor.
 septimum soli
 ligo Dinamari
 tupe Genitricis
 ; quam con
 irum et fims 2
 orlo aivectan,
 ante fuisse expo
 og. Sumpet. lib. 1.

inque Marti,











8
 19
 18
 17
 16
 15
 6
 14
 13
 5
 12
 11
 4
 10
 9
 3
 8
 7
 2
 9
 6
 5
 4
 3
 2
 1
 1
 2
 3
 4
 5
 6
 7
 8

Centimetres
 Inches

TIFFEN Color Control Patches
 © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Skin	Light Gray
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Skin	Dark Gray

TIFFEN Gray Scale
 © The Tiffen Company, 2007

A	1	2	3	4	5	6	M	8	9	10	11	12	13	14	15	B	17	18	19
	R	G	B				W	G	K		C	Y	M						